

11,33

Vc

1361



II, 33

IX, 112

II, 33.



11,3



309

Q. F. B. T!
FRIDERICUS FORTIS,
Sive **ADMORSUS,**
Politicis quibusdam discursibus
illustratus,

&
SUB PRÆSIDIO

Viri Pl. Reverendi atq; Excellentissimi

DN. VALENTINI ALBERTI,
SS. Theol. Licent., Ejusdemq;ve Prof. Publ.
Extraordinarii, Dialectices verò atq;ve Metaphys. Ordinar.
undiquaq;ve celeberrimi; Facult. Philosoph. Assess. & Colleg. B.
Virg. Collegiati gravissimi, de officiis his omni-
bus meritissimi,

Dn. Præceptoris, Patroni atq; Promotoris filiali cultu
prosequendi & summè devenerandi,
publicæ Eruditorum censuræ
expositus

a
Gottlob Friedrich Seligmann/ Zittâ Lus.
Philos. Baccal.

Lipsiæ XII. Calend. VIIbr. A. M. DC. LXXV.

H. L. Q. C.

L I P S I Æ,

Literis JOHANN-ERICI HAHNII

Franke Wigler

310

Faint, mirrored text bleed-through from the reverse side of the page, including the words "POLITICA" and "ADMONITIO".



Faint handwritten text at the bottom of the page, possibly a signature or date.



Viro Juveni Ornatiss. Dn. Respond. M.

S. P.

Usatia Tua cum, Gratiâ DEI singulari, eâ hodiè fortunâ utatur, quæ potest esse maxima, balcyonios in Ecclesia pariter atq; Republicâ dies assiduè agens, quando per omnem ferè Germaniam navis utriusq; decumanis jaçtatur fluctibus; ad SERENISSIMAM DOMUM SAXONIÆ, quæ post DEUM hac illi otia fecit, oculi animiq; fidelium civium jure meritoq; respiciunt. Quoties enim proximas Bohemorum atq; Silesiorum Regiones jaçturam Religionis fecisse recordantur, non possunt non sibi novos suos hõc seculò Dominos gratulari, quibus Antecessorum in extirpandâ fide orthodoxâ studium nomen Patrum Patriæ proprium atq; peculiare fecit. Hinc in subditis conatus præstandi se dignos gloriâ parendi, varius quidem apud varios, sed in omnibus maximoperè commendandus. Musis autem, cum majora dentur à STATIBUS PROVINCIÆ specimina, vix integrum est aliquid conferre præter chartas, quibus felicitatem Regionis vel gratò animò recolant atq; deprædicent, vel propriam ei perpetuamq; optent exoptentq;. Harum Alumnus sub Apolline Saxonico tam Zittavie pridem, quàm hodiè Lipsiæ Tu, MI SELIGMANNE, feliciter utrumq; assequeris, quando FORTISSIMUM ex Majoribus Nostrorum Ducum FRIDERICUM sic describis, ut quàm solidè fundamentum fortune jecerit pro posteris suis, quàmq; strenuè, adversus hostem non unum, illud defenderit, simul ostendas, simul nobis ac successoribus nostris sartum tectumq; appreceris. Arduum; fateor, hõc tuisq; viribus propè gravius fuit opus; nolui tamen Te vel à proposito, cum illud oppidò laudabile fuerit, absterrere, vel has pagellas, quibus argumentum tuum pro modulo ætatis satis eruditè pertractâsti, reformare, reformatasq; fortè doctiores aut accuratiores, Tuò nomine, tanquam mercem alienam, Patronis obtrudere. FRIDERICUS enim Tuus jam ADMORSUS est; quid Eum Lima mea denudò mordeat? Unum tamen, quod Tu observare neglexisti, liceat mihi annotare. Tota nimirum dissertatio Tua occupata est in ALBERTO & FRIDERICO. En & ME, si parva licet componere magnis, ALBERTUM & TE FRIDERICUM! FORTEM igitur in cathedrâ, inq; reliquo studiorum Tuorum cursu Te præsta, qualis Tuus in bello FRIDERICUS semper fuit. Vis & Ego sum ALBERTUS DEGENER? ero, degeneraturus in hostem Tuum, nisi, quod facis atq; facturus es, adspires hâc, quâ incedis, viâ ad altiora, monentemq; sequaris ac præeuntem

E Museo, 16. Aug. A. 1675.

T. ALBERTI
Q. B.



Q. B. V. B. T!

Ito Livio Alphonsum Hispaniæ, Ferdinandum Siciliae Regem, Curtio sanitatem suam, quam à Medicis accipere non poterant, debuisse Bodinus (α) attestatur. Tanta erat Historiarum jucunditas, ut membra gravi morbo afflicta relevare possent atq; reficere. Non minor verò per easdem utilitas in civilem imprimis sapientiam, tanquam per perennes scaturigines abundantissime redundat. Sic enim magnus Juris Naturæ ac Gentium Doctor, Hugo Grotius, civilem sapientiam suam ex Historiæ præsertim omnis Thesauris opulentissimis eruisse (β) dicitur. Adplicanda igitur omninò sunt præcepta, quibus Reipubl. & constituendæ atq; constitutæ prudenter consulere student Politici, ad Exempla Historiarum veterum non minùs ac recentiorum, eòq; modò in succum convertenda atq; sanguinem. Sic enim innumeri præcaveri poterunt Solæcismi, quos non nisi ex Historiarum monumentis capere vel prudentissimus potest Politicus. Et hoc quidè in studio, Viris celebrioribus non ingrato, cum periclitari vires esset animus, in Historiam SERENISSIMÆ DOMUS SAXONICÆ, cujus sub RUTA FLORENTISSIMA tutis esse nobis licet, primùm ire libuit. Feracissima enim Ea est rerum illustrissimè gestarum, ut si & has propter cum aliis (γ) Domibus atq; stirpibus excelsò locò positis in arenam descendere ipsa velit, paria cum omnibus, si non majora, procul dubiò vota habeat. Adeò verò in Majores inqvirenti memoratu dignissima illa FRIDERICI FORTIS s. ADMORSI Historia, à Fabricio Chemnicensi aliisq; recensita, mihi placuit, ut publicæ eam disqvissioni, unà cum nonnullis annotationibus Politicis, exponere statuerim. Quod si ex votò id, quod susceptum est, peragi non poterit, uti virium imbecillitas arguit facillimè, vel illud favorem Benevoli Lectoris mihi promittit, quod præstet magnis excidere ausis.

Esto igitur felicitante Almâ Triade

- α) Videatur Disp. de Cajo & Luc. Cæs. Præsid. Exc. Franckenst. hab. Procem. β) Disp. sub Excell. Thomaf. de Jure & Just. primi belli pun. etiam procem. γ) M. Ifingii Orat. in memor. Celsiss. Joh. Ernesti jun. in An. A Ca- DeMlæ JUBILæo Jenæ hab.

THE-

THESIS I.

FRIDERICUS Thuringiæ Landgravius & Marchio Misniæ Alberto degeneri ex Margaretâ, Imp. Friderici II. Filiâ, charâ tunc, sed post exosâ Conjuge, An. LVIII. seculi post Christum natum XIII. feliciter prognatus, tenacissimam fortunæ inconstantiam in primis statim annis experitur.

Ἐκθεσις.

Humanam probitatem rarò resurgere per ramos, quòd Dantes, Poëta Florentinus, (α) verè cecinit, Friderici Nostri Pater Albertus satis superq̄ probat. Hunc enim si species, ex ferocî aqvilâ (ut cum Poëtâ (β) mihi loqvi, & Henricum II., quò hic Patre usus est, sic innuere liceat) non imbecillem eqvidem columbam, at vulturem tamen voracissimum progeneratum esse concedes facilè. Hinc ob animum degenerem & à munificentia ac bonitate Patris alienum Degener dictus est; quem cum à primâ confestim ætate ejus vitii arguere, propositi nostri non sit, post celebratas saltem cum Margaretâ suâ nuptias eundem paulùm descripsisse, ad fortitudinem Friderici Filii dilucidius explicandam, impræsentiarum sufficiet. Tres ex Imperatoris Filiâ Filios feliciter susceperat, & suâ tamen felicitatem, pro eò, ac par erat (γ) æstimare recusabat. Quam enim primùm amaverat, obscurum, quâ de causâ, exiguò tempore interjectò, odisse incipiebat. Sed forsitan hîc infans non nihil amori erit tribuendum, quò Cunigundam, nobilem quandam puellam ab Eisenberg, eò prosequeretur modò, ut & cum eâ consvesceret, & à Conjuge suâ, quomodocunq̄ fieri posset, separare sese moliretur. At de viâ, quâ aggrediretur susceptum hoc, ambigere adhuc cogebatur, cum privatam illam apud Romanos divortii licentiam, quam adeò invaluisse Seneca conqueritur (δ), ut illustres quædam ac nobiles fœminæ non per consules, sed maritos annos suos computârint, in tantum, communi etiam jure, esse limitatam, nosceret, ut sine verâ ac genuinâ causâ suscipi non possit (ε). Succurrere hîc quidem nobis viderentur, quibus defendi hanc viam, si eam iniisset Albertus, putares, faciles (ζ) ad divortia Principum prætextus, quos, ut de antiquioribus taceam, superiore ævò in Henrico IIX. Angliæ Rege (η), hîc nostrò seculò in Henricò IV. Navarræ Rege (θ), & in factione Gallicâ, cui Aversio matrimonii nomen erat (ι),prehendimus. Sed nec defensi illi à melioribus leguntur, nec si

514
defenderentur, multitudo errantium errori patrocinium conciliaret.
Callidus igitur Albertus sic agere rem intendebat, ut paucis ea inno-
sceret, dum Conjugem venenō, in ejus mortem præparatō enecare niti-
tur. Hoc verò per Ministrorum integritatem cum ipsi traditum non
esset, clam iis omnibus, quod semel sibi proposuerat, perficere nihilō se-
cius allaborat. Seligit verò in expeditionem sceleris agasōnem quē-
dam, aquæ lignorumq̄ vectorem, hominem fatuum, eumq̄ve promissis
oneratum ac juramentō obstrictum, nefariō instruit consiliō, ut spe-
ctrum simulans cubile Margaretae introeat, ad quod Cunigunda ipsi fa-
ctura esset aditum, ibiq̄ dormientē illā derepentē strangulet, quō à Caco-
dæmone enecata crederetur. Tantoperè inflammabat eū amoris æstus, ut
& in ipsō perpetuam illam, & realem, quæ adeò nulli rei, ut amori, com-
petit, (κ) Hyperbolem, comprobata esse videas. Nunquam enim
fuit quisquam adeò superbus, qui se ipsum tam absurdè magnificerit,
quàm Amator Albertus amatam Cunigundam, cujus gratiā genuinam
obtruncare etiam voluit conjugem. Sed ad hanc ipsam cum Mulione
ut descendamus, hic à Cunigundā intromissus primū se abscondit ta-
citè, dein excitatō modicè strepitu, præsentiam suam Margaretae indicat,
& DEO sic dirigente, lacrumis effusis gratiam Dominae implorans, de-
mandata sibi exponit omnia, svadetq̄ ut fugā vitæ consulat, se quoq̄ pe-
riculi malle esse socium, quàm tanti conscium sceleris. Collaudatā ho-
minis pietate Varilam, aulae suæ Præfectum, confestim accersit Margare-
ta, qui, auditō Principis consiliō, fugiendum esse, ait itidem, si dira Prin-
cipis libido evitari debeat. Præparantur igitur futuro itineri necessaria
à Ministris, dum in filiorum cubiculum discessura Mater sese recipit, in-
terq̄ lacrimas & oscula, deplorans insimul anxie suam miseriam, Fride-
rico, qui trium annorum, & Dizemanno, qui unius & dimidii anni spa-
tium exegerat, valedicit. Atq̄ ubi parata jam essent omnia, repetit Fri-
derici cunas, ac (tantum enim & apud ipsam amor, sed honestus, pote-
rat) dextram ejus malam morfu impetit; properatura verò dein ad Di-
zemannum quoq̄ retinetur, ne doloris impatientiā vim infanti inferat.
Illa verò non ignara quid fecisset, amoris, inquit, perpetui notam & justī
doloris testimonium se dedisse Friderico, & sic ex arce dimissa (locum Ise-
naci adhuc ostendi & (λ) Melanchthon & M. Schmidt / Past. Zwicccav. af-
firmant) eā nocte Creienburgum & post Francofurtum pervenit, ubi in-
ter fletus & preces vitam paucos post annos finiit. Sic itaq̄ relictī
sunt

515
sunt miselli fratres paternæ truculentia, quæ ex evētu propositi sui minus
felici maximum indeptura erat incrementum; sic primis statim annis for-
tunæ adversitatibus expositi; sic Principes fatō subditis (μ) æqvati sunt.
At, monente Bœclerō celeberrimō (ν), & hīc quoq; fortunam atq; fatum
cum interpretatione pietatis ac modestiæ accipe. Possē enim eiq;dem,
quæ nobis ex improvīsō contingunt, fortunæ, casûs & fati nomine desi-
gnari, sed omninō credendum, fortunam bonam nihil esse aliud, quàm
gratiam, à DEO profluentem; infelicitatem verò pœnam rectè vocari ab
eōdem maximo Rege immissam, decidit Wilh. Ignatius Schüz, Cancell.
Fuldensis (ξ). Tametsi verò singularis Heroum sit fortuna & felicitas,
quæ tantum præstat, ut impetus eorum Heroicus sit efficax & ubiq; pene-
tret (ο); præparari tamen eos nihilō secius per casus aliquantum ad-
versos ad alia pericula eò animosiùs subeunda, eò fortiùs sustinenda,
non repugnat. Sic exhæredari antè Themistoclem oportebat, quàm
vitiis emerfus ad trophæa Miltiadis æmulanda incenderetur (π). Nec
malè tristissima hæc desertio Friderico cedit Nostro, cum omnia in bo-
num finem direxerit DEUS optimus.

α) Chabotius in Horat. Od. IV. l. I V. f. m. 339. β) cit. Ode Horat. γ) Exem-
plo Davidis, generum esse Regis magnum reputantis 1. Sam. 18, 23. δ) 1.
3. de Benefic. c. 16. Conf. Disp. cit. de Cajo & Luc. Obs. 1. H. ε) Excell.
Dn. Præf. Præcept. meus honorat. Disc. ad Tab. 34. Exc. Thomaf. ζ)
cit. Disp. de Caj. & Luc. Obs. 1. G. η) Octav. Strada Symb. 1. Regum
Angl. θ) Gramond. l. 1. Hist. Gall. p. 78. ι) Idem l. 16. p. 688. κ) Baco
de Verul. Serm. fid. 10. f. 1154. λ) Mel. Decl. Tom. III., Schmidt
Chron. Zvvic. p. 186. sub Frid. Adm. μ) Gram. l. 1. p. 31. ν) Charact.
Polit. Vellej. c. 2. ξ) Cl. Weife, Conterr. M. honor. de Fort. Pol. præp.
§. 7. ο) Bœcl. c. 1. π) Cornel. Nep. II. 1.

THE S. II.

Matrefato functâ Patruī sui Dieterici, à quō, post
Margarethæ fugam, ab insidiis à Cunigundâ, Alberti pel-
lice, metuendis liberabatur, sedulâ prudentiq;ve institutio-
ne utitur.

Εκθεσις.

TRistem Margaretæ fugam Dieterico, Landsbergi Marchioni, rumor
vix exposuerat, cum filiorum ejus cura confestim eum subit anxia.
Impiissimum enim fratris scelus in Margaretam susceptum insimul au-
dierat, illudq;ve non ulli alii, nisi Cunigundæ pellici sua debere primor-
dia facile colligebat. Experiētiâ siquidem Magistrâ didicerat, sudem
esse

esse in pellicum oculis filios ex legitimis uxoribus susceptos, nec ab iis, nisi ut intentatae internecionis suspicionem evadant, vel simulatio etiam amore excipi ac foveri posse. Potentia siquidem earum, quam in Viros insanō erga se amore correptos, perque hos in alia omnia sibi arrogant, adeo perniciofa est, ut incendere, quacumque incedit (α), merito dicatur. Eo igitur, quod intenderat, cum pervenisset, fratrem in solitudine collocatum aggreditur, maximumque se ex hac dolorem sentire simulat. Non enim aquam puram in puteum cœno plenum semper infundendam esse, recte monet Medicorum Primicerius Galenus (β). Optima inde Dieterico oritur occasio, redimendi eos, quorum gratia huc se contulerat. Invehitur quippe Albertus in uxorem fugitivam, quamque illata hac sibi contumelia in animo suo tristitiam usque excitet, edisserit. Ne itaque ait Dietericus, novos tibi mœrores quotidianus filiorum ex ea prognatorum aspectus progeneret, mihi eos educandos trade, paternam tibi eorum curam polliceor. Facile ad stipulatur petito huic Albertus, qui nec Margeretham, nec sobolem ab illa sibi relictam deamare poterat. Fortassis enim uti amore liberorum conjugalis amor magis magisque (γ) alias incenditur: ita hoc extincto, & ille quoque invalidus in ipso evasit. Ad novum siquidem amorem conjugalem novum incentivo opus erat. Dietericus eapropter suos ex fratre Nepotes, e vitæ periculo sublato, adsumit, & quam primum fieri potuit, exercitationibus informat decentibus. Sunt enim Principes Instrumenta (δ) felicitatis Politicæ, quibus hæc propagari potest, si bene illi, corrumpi & everti, si male informantur. Eorum igitur in teneris statim nisi curam habeas, commune oritur malum, dum sine cultu adulti, factio aliis (ϵ), aliis Exemplō nocent, quod unico plus, quam imperio, plus, quam severis legibus pœnisque efficere, quod itidem bonos Reipubl. mores inficere, & vitare possunt. Quamvis verò Principes mirum quantum naturæ debeant, qui præclaram indolem cum animâ bonâ sortiti sunt, tamen pro comperto id est, nisi naturæ bonis & ingenitis illis seminibus virtutum, educatio liberalis accesserit, plerumque fieri, ut vel æruginem contrahentes in socordiam degenerent, vel instar plantæ succo necessario destitutæ, penitus (ζ) elangvescant. Igitur

*Ut facile est, catulum compescere fune Leonis,
Impatiens cujus post tamen ungue ferit:*

Sic

*Sic quoq; Principibus teneris praecepta sub annis
Suggerere, ut vita frena tenere sciant,
Non opus est magnum.*

Principem enim sui juris factum quàm periculose de vitiis moneas, Prae-
xaspes, qui propter monitionem filium suum perdidit (9), testatur.
Ac iis etiam imprimis informandi Principes sunt artibus, quibus & ci-
vem regere & hostem superare possint, ne alterutra harum si ipsis desit,
Principis officio defungi nequeant. Sic enim describit illam sapientiae
Augustae tesseram Virgilius (1):

*Tu regere Imperio populos, Romane, memento,
(Haec tibi erunt artes), pacisque imponere morem,
Parcere subjectis & debellare superbos.*

Quando igitur laudatissimo Friderici Nostri Patruus est speculâ quasi prae-
videt, quàm excelsa virtus ad sustinendam vel propulsandam imminen-
tem calamitatem necessaria sit futura, animos etiam adolescentulorum,
in curam suam adsumptorum, teneros sedulâ institutione prudenter
praeparat. Svadet nempe Friderico praecipue Nostro, ut libertate & di-
gnitate suâ nihil charius, nihil potius salute civium habeat. Adducit
etiam varia Veritatis & Justitiae pressae aequidem, at non oppressae exem-
pla, è vicinis Regum Principumq; aulis petita. Atq; his ille modis ex
eventibus variis sapere edoctus est, quàm etiam praerargutiis spinosis (x)
informandi Principem viam esse optimam Theander, Theopompo in
Praeceptorem selectus, apud Bugnotium (lambda) censet optimè. Sic enim
& illustris Baco de Verulamio majori laude Regem suum extollere ne-
quit, quàm si dicat: Eum nihil habuisse è pedantiò (mu). Et cessit etiam
Dieterici labor adeò feliciter, ut, veluti Ludovico XI. Galliarum Regi
solicitude (nu) & molestia, in quâ juvenilibus annis, desertò Patre, apud
Philippum Burgundiae Ducem vixit, multum profuit; sic Friderico No-
stro institutionem, quâ, desertò Patre, apud Patrum usus est, multum
profuisse, non immeritò dicamus. Docebitur id in sequentibus vice
non simplici.

- a) Eman. Thesaur. Inscript. p. 270. b) Cl. Dürr. Eth. Parad. P. 3. Sect. 2. c. 4. A. 13.
c) Exc. Fellerus Animadv. ad O. I. Horn. Ms. 26. d) Saverdr. Symb. 2. p. 115.
e) Hippol. à Coll. in Princ. addit. c. 5. p. 121. f) Argen. P. 3. l. 1. c. 1. p. 276. g)
Jac à Bruck. Embl. Polit. 17. p. 65. h) Id. p. 67. ex Cam. horis succif. i)
Virgil. 6. Aeneid. k) Dürr. P. 3. S. 1. c. 1. a. 2. p. 111. l) Arg. P. 2. l. 5. c. 9. p. 249.
m) Cl. Weise in Car. M. Disc. 1. c. 2. §. 8. n) Comin. Comment. l. 1. p. 341.
Reink. in Bibl. Polit. Ax. 9. l. 2.

B

THESE



Domesticâ hâc Disciplinâ non leviter excultus, exterâs etiam oras invisit, in iisqve, quid Patriæ abs se expectandum sit, commonstrat.

Ἐκ θεοσις.

SI eam ob causam à peregrinationibus prohibendi sunt Juvenes, Platone sic volente, ne peregrini mores in Rempubl. introducantur, neve luxus, lingua, morbi, odium nostri & amor peregrini status exinde enascatur: quidni Principibus magis, itidem juvenibus, dictas propter rationes interdictas eas esse arbitremur? Quàm facilè enim & hi incommodorum illorum omnium Autores esse possint, vel Alexandri M. testatur Exemplum, qui, ut alia sileam, habitum etiam (β) Regum Persarum & diadema insolitum antea Regibus Macedonicis, velut in leges eorum transferebat, quos vicerat, adsumebat. Imprudentiæ igitur hîc Dietericum arguas, quod Fridericum è disciplinâ dimissum alios ad locos, juvenem adhuc, ablegare voluerit. Poterat enim & ipsi contingere, quod, præter Alexandrum, plurimis contigisse aliis Historiæ docent. Sed huic de factò hîc Dieterici iudicio subscribendum foret, si sine præviâ disciplinâ dimisisset eum, neq; ad hæc mala cautè fugienda adhortatus esset acriter. Sed id quia factum, & hîc ejus admiramur Prudentiam. Tribus aliàs potissimùm rebus peregrinationem fieri inutilem vanamqve, cum & nimis juvenes sunt, qui peregrinantur, & literarum præfidiò carent, & scopum sibi certum non proposuerunt, meritò Caselius ad Steinbergium (γ) conqueritur. Juvenes enim, ad quos & illud allatum supra Platonis interdictum spectabat, in vitium flecti cerei (δ), quàm facilè in Sirenum voces & Circes pocula incidere, atq; ad illas si accedant, discerpi, hæc si ebibant, in fera bruta transmutari possint, testis est experientia. Providus igitur Ulysses ab his cavere cum sibi potuerit, in eò etiam, tanquam utili exemplari,

----- *Quid Virtus & quid Sapientia possit,*
à prudenti antiquitate ostensum est. Iis itaq; si peregrinationes proponuntur, certa ut à literis, quæ Duces (ϵ) sunt & Magistræ ad Virtutem & Prudentiam, petant præfidia necesse est. Prudentiam verò, cum singularium sit, quæ Experientiâ innotescunt & sensu (ζ), per peregrinationes tamesi perfectiùs acquiramus: supponenda tamen nihilominus ejus Dispositio, ne hinc inde divagantes, discurrere potiùs, quàm peregrinari (η) dicamur. Neq; enim scopum sibi
quis-

quisquam suum ante oculos collocare poterit, nisi aliquam rerum eventuumque notitiam, aliquove de iis iudicio polleat (9). His vero omnibus cum instructus fuerit Fridericus, querela illa laudati Caselii in eum quadrabit minimè. Adprobavit a. id ipsum ipsi Wenceslao II. Bohemiae Regi, cuius in aulam se contulerat, eò modò, ut indole ejus præclarâ Rex multum delectaretur. Cumque eò ipso tempore de Polonia regnò certamen esset, & illud defensum cuperet Wenceslaus, castra simul cum eò secutus est Fridericus, ubi major ejus spectata virtus fuit, quam quæ ab annis istis expectanda esset. Atque sic iter dum instituit, Socraticam non merebitur, censuram, quæ querenti, quòd sibi nihil profuissent peregrinationes, respondisse ferunt (1): Non immeritò hoc tibi evenit, tecum enim peregrinabar; haud enim secum, sed in usum patriæ peregrinatus est.

a) Piccartus in l. 5. c. 8. Pol. Arist. p. 757. ß) Justin. l. 12. c. 3. §. 8. Conf. Curt. l. 6. c. 6. 2) Bœcl. Dissert. de peregr. German. p. 21. 3) Horat. de arte Poët. 4) Bœcl. cit. l. 5. Arist. l. 3. Pol. c. 3. it. l. 6 Eth. c. 8. 5) Cl. Bernegg. fascic. quæst. 1. ex Tac. Agric. quæst. 3. Th. 6. 7. 6) Schönborn. l. 2. Polit. c. 32. 7) Bœcl. c. 1. p. 57.

THES. IV.

Captivitate Lippianâ liberatus & per genam à matre ad mortem, & per invidiosam hæreditatis tam præsentis quam aliquando accessuræ venditionem à patre factam ad arma adversus eum, se insuper oppugnaturum, sumenda instigatur.

ΕΚ ΤΗΣΙΣ.

Demonstraverat itaque Fridericus suæ patriæ, quæ cum Prudentiâ ac Fortitudine pro eâ quondam pugnaturus foret, cum à Patruo in castra Erici, Magdeburgici Antistitis, vocaretur. Siffrido ille & Bernardo, Anhaltinis, Clientibus suis, arcem Renam recuperaturum se causabatur. At amici qui venerant, ut hostes in lectis à perfidò capiuntur, Antistite, & Fridericus Lippianæ traditur custodia. Verum elabitur, inde & ditionem, ad quam defendendam antea venerat, ne Antistes impune se rem egisse autemet, depopulatur. Hostem enim territorii Dominus, quia se exhibebat, & illos, qui intra præsidia ejus erant, in eundem censum rejiciendos esse (α) reputat. Jamque recrudescere veluti vulnus genæ suæ incipit, & in memoriam injuriæ Matri illatæ ipsi redeunt, cum præterea, abjectâ sui curâ, nothum amplificare studeret. Pater, & in se, tanquam contumacem filium, arma quoque compararet. Neque vero ipsi consilia deerant, neque præsidia (β), quibus suffultum esse, Patriæ suæ defensorem qui præstiturus erat, oportebat. Hic tamen du-

bites, an excusari etiam id queat, quod Patri & armis resistere non erubuerit? At quid excusari illud factum posse ambigas, cum ipsius causæ justitia pro eò ita pugnet, ut vix jure incusari queat? Sed contra Patrem, inquis, assurrexit, quem, licet æquus non fuerit, ferre debebat (γ): ferre omninò debebat, si modò unquam paterno satisfacisset officio. Jus verò resistendi, omnibus naturaliter æquale (δ), ob institutam societatem civilem ita limitatum est, ut Parentes in filios quoque potestatem nacti fuerint, eam tamen, quæ ad mutua, illos educationis (ϵ) & nutritionis, hos verò ἀνυπελαργίας, officia obliget. Eorum autem neutrum pater cum fecerit, sed altricem potius & educatricem sustulerit, obstringere eum sibi adeò non potuit, ut ne variis injuriis affectus, item exheredandus ac impugnandus resistere non posset. Quid? quod Patria, cujus ob causam Patrem accusare, filio non esse illicitum Cicero demonstravit (ζ), etiam jubeat, ut se prodendam notho, qui, uti solent nothi plerumque (η), ad vitia paterna, imò iisdem majora quoque proclivis erat, liberet. Quam justis verò Frederici conatus essent, sub initium tamen ex voto non procedebant, cum minus cautè agens, à Comite Kefferbergiò captus, fame periisset in carcere, nisi, id dissuadentibus aulicis, conservatus, & tandem à ministris suis, auxiliò quorundam ejus vicem miserantium, cum rebus, quæ auferri simul poterant, omnibus, ereptus esset. At mox in aliud, illudque grave admodum incidit infortunium, ubi Patrum fatò concessisse experitur. Solatio tamen ipsi est relictus ab illò filius, cujus contuberniò à primà educatione usus fuerat. Conveniunt hi Erfurdia, interque se hæreditatem paciscuntur mutuam; quam tamen, illò demortuò, Albertus suam esse ait, filiosque ideò à provinciis istis discedere jubet. Rudolphus Imp. ita componit litem, ut, si obtemperasset ei Albertus, & sibi & suis firmasset imperium. Verum quiescere ubi non posset, vicissim à Fredericò capitur, & certis, cum Principes subditi que pro eò intercederent multi, dimittitur conditionibus. Vindictæ autem cupidus Adolpho tandem Imperatori, unicò Wartburgò, ad vitæ tempora sibi concedendò, exceptò, omnes vendit provincias, cum & nothus, Apitius, cui vindicare eas cupiebat, ab Ordinibus repudiaretur, Principesque in filios immissi fortiter reprimerentur. Sed venderene Albertus potuit feuda, quæ ex primà jamjam investiturâ (θ) Frederico competebant, non ex Patris, sed superioris eadem concedentis beneficiò, quod imminuendum non erat

erat (i)? Verùm cur Adolphus emit ea? si ut potentissimum Principem
 eum spectas, magnam eqvidem Deus in eum potestatem contulit, sed tan-
 tum abest, ut ipsum veluti pro jure suo, de jure subditorum quicquam au-
 ferre jubeat, ut ne clientem quidē velit à Principe cogi ad vendendum ipsi
 fundum aut prædium suum, quod ex Nabothi exemplō perspicuum est
 (κ): Si ut feudi Dominum, acquiescendum ei erat in consensu Anteces-
 sorum suorum (λ), quorum prima investitura jus succedendi in posteros
 hosce transtulit, uti ex feudali jure, si id propositi esset nostri, demonst-
 rare affatim possemus. Justa verò adimendi eadem causa si suppetiisset,
 cur non potius adimere voluit? Ex his itaq; omnibus justitiam belli ad-
 versus Patrem, naturā non affectu talem gesti, quis non colliget?

- α) Grot. de J. B. P. l. 3. c. 4. s. 6. β) Jac. à Bruck Embl. Pol. 8. p. 29. γ)
 Grot. l. 1. 4. 4. 6. δ) Idem l. 4. 2. ε) Idem 2. 7. 4. ζ) offic. l. 3. p. m. 341.
 Conf. Grot. 2. 18. 4. 7. & 2. 6. 3. 2. η) Petr. Greg. Tholos. de Rep. l. 7. c. 8.
 θ) Grot. l. 2. 4. 10. 3. Conf. Andr. Knichen in Encycl. de Vest. pact. feud. l.
 c. 2. f. 331. n. 326. & 327. & f. seq. n. 370. Item Reink. Tr. de Regim. sec. 1.
 4. 17. 41. ι) Id. cit. l. 1. 3. 10. 40. κ) Hartm. Pift. P. 2. qv. 40. n. 40. sq.
 λ) Carpzov. Decif. Illust. Sax. 88. n. 8.

THESIS V.

Perfidiam Adolphi amore civis Fribergensis ictum
 sicarii, ad se interficiendum missi, excipientis, prosperè e-
 vadit.

Ἐκθεσις.

VI se nihil effecturum, ubi Adolphus ad feuda sibi vendita occupan-
 da egressus affatim animadverteret, depositā, ut ajunt, leoninā
 pelle assumit vulpinam, quā induto sibi successus pollicetur prosperiores.
 Nec malè, modò non perfidè: Strategematum quippe usum & nos infra
 commendabimus. Verùm evocare hostem, literis securitatis stipatum,
 gratiosè acceptum mensæ adhibere, & sicarium nihilominus in ipsum
 immittere, quæ Adolphus (Alberto successori alii (α) tribuunt) fecit
 omnia, an impune liceat, non facilè affirmaverim. Marcellus eqvidem
 apud Livium (β), quicquid, inquit, in hostibus feci, jus belli defendit: Et
 Papinius,

*Nec querimur casos; hæc bellica jura vicesq;
 Armorum;*

Quod tamen jus non ab omni culpā liberare, sed per impunitatem ali-
 quam exponere voluit magnus Grotius (γ): At de bellō illis durante

322
sermo est; quod hinc tamen suspensum erat per pactas veluti inducias, quæ & (δ) mittentem literas securitatis & accipientem, post absolutum statim contractum obligabant. Cum igitur per inducias, quicquid (ε) adversus hostem fit, sit illicitum; quis, Adolphi quoque facinus illicitum esse, negitet? Perfidum quippe insuper nominandum est, cum in dolo deserit, quod bonam fidem & conciliandam amicitiam præ se ferebat. Neque æquivocationes, si quas prætere hinc velis, morales, à Jesuiticâ gente, non à verò Christianò adprobata, eò nos compellent, ne asseramus, malè Adolphum egisse atque perfidè. Sed quæ ex angustiis istis Fridericus sese explicat? Videt imminentem ipsi sicarium civis quidam Fribergicus, qui cum eò advenerat, & mox suo corpore objecto ictum, excipiens, mortuo ad pedes Domini (adeò amabat eum) concidit. Inde inter Svevos & satellites Friderici rixæ se exerunt, & Friderico ipsi mutatâ veste evadendi spatium relinquunt. O felicem, ejusmodi qui gaudet subditis, Principem! Acute enim Micipsa apud Salustium (ζ): Non exercitus, neque Thesauri præsidia regni sunt, sed amici. Nihil equidem derogamus Curtio, qui nihil valere Regum potestatem ait (η), nisi prius autoritas quoque valeat: rejicimus tamen erroneam Machiavelli sententiam, quâ amor cum metu vix conjungi posse, ideoque tutius esse diligere, quam metui (θ), arbitratur. Subditis enim pacem si conservet, si præmia & pœnas ex æquo distribuat, dubium non est, quin ob proclivia in Rempubl. studia ametur, metuatur ob justitiæ cultum. Conjungit in eundem modum cum amore metum Poëta nobilissimus Claudianus:

Nunc, inquam, qualibus urbem

Moribus, & quanto frenes (ι) metuendus amore.

In quæ verba ubi commentatur (κ) Nob. Barthius, citat hosce versus non absonos:

Non odium terrore moves, nec frena resolvis,

Gratia, diligimus pariter, pariterque timemus,

Ipsæ metus te nosse amat.

Arrideat itaque licet Caligulæ illud, quod & Machiavello placuit Symbolon: Oderint dum metuant; irritum tamen hunc metum, cum odio conjunctum, quartò imperii anno confossus, expertus est (λ). At Constantino (μ) subditorum benevolentiam pro opibus suis reputanti omnia cesserunt feliciter, & felix quoque vitæ exitus contigit. Atque hæc nisi subnixus fuisset Noster, quod de eò diceremus ulterius, restaret nihil. Sed pergimus quia pergere possemus. α)



523
α) Mansfeld. Chron. c. 276. f. 325. β) Grot. de J. B. P. 3. 4. §. γ) Id. cit. l. 6. 3.
δ) Id. 3. 21. 5. ε) Id. c. l. §. 6. n. 1. ζ) Salust. in B. Jug. c. 10. η) Curt. l.
6. c. 8. θ) Machiav. in Princ. c. 17. p. 67. ι) l. 2. de Stil. κ) p. 224. in
Comm. λ) Svet. in Calig. c. 58. μ) Seb. Aepin. in hist. Sinnbild. p. 138.
& 143. Conf. Cluv. in Hist. Un. p. 293. sqq.

THESES. VI.

Unô tempore pluribus cùm resistendum esset hosti-
bus, tempori inserviendum esse, prudenter statuit, sicq̄ve
tandem ita se vindicat, ut & hostibus terrorem injiciat, &
suos erigat.

ΕΚ ΤΗΣΙΣ.

Solers temporum intelligentia quantum Politico prodesse statuenda
sit, vel ex hoc patet, quod genuinus Prudentiæ Politicæ character per
eam (α) definiri jure debeat. At nulli tamen majus ex illâ commodum
oritur, ac Duci bellico in angustiis præsertim constituto. Quod si enim
is modô debitô tempori inservierit, quicquid in eum hostis intentet, re-
digi ad incitas non poterit. Certè prima illa reviviscentis Rom. Imperiû
spes cunctator Fabius (β) nisi per Samnium totum, per Falernos Gau-
ranosq̄ve saltus macerâisset Hannibalem, ut, qui frangi virtute non po-
terat, comminueretur morâ, vix illô inclaruisset elogio:

Unus homo nobis cunctandô restituit rem (γ).

Damnô suô neglectum hujus callidæ temporum observationis repensa-
vit Persicarum copiarum Dux, Datis, cujus exercitus decemplici nume-
merô hostibus major ob eundem adeò profligatus & perterritus est, ut
non castra, sed naves peteret (δ). Calluit eam quàm optimè nostrô seculô
callidus Gallorum Turennius, qui hinc inde copias diducens suas, com-
modis se servavit occasionibus, usq̄ dum eum prudentia nescio an for-
tuna, certè vita nuperrimè deseruit. Præstitit id quoq̄ve summâ cum cu-
râ, at summo etiam cum emolumentô Fridericus Noster, qui cùm pluri-
bus unô eodemq̄ve tempore resistere non posset, id curavit maximè, ut
securitate suâ sævientes hinc inde hostes devinceret. Paucis igitur stipa-
tus eorum expiscatur consilia, donec Rochlicium, cujus præfecti negli-
gentiores erant, de nocte superaret, suisq̄ve, interfectis custodibus, adi-
tum faceret, & Sævum exin Rhenanumq̄ve militem, civibus libertate
redditâ, ejiceret. Angitur hoc ob amissum oppidum Philippus Nassavi-
ensis animô suô maximè, quem tamen Oschazium iturum in Sylvâ qver-
cetanz

324
cetanâ captum eô postea deducunt Fridericus atqve Dizemannus. Sic
itaqve & ille cunctatione suâ providâ res suas statui restituit prosperiori.

α) Bœcl. Diff. Pol. 17. p. 423. β) Flor. 2. 6. 27. γ) Cic. de Senect. p. m. 290.

δ) Corn. N. 1. 5. 5.

THES. VII.

Post Adolphi obitum Misniâ potitur ferè omni, an-
nuente primùm Albertô Imperatoriæ dignitatis successore;
at interjectô tempore in angustias ipsum redigente; ubi ta-
men collectas quasdam copias adeo oratione suâ animat, ut
è præliô discedat superior.

Εκθεσις.

INterea, dum in vinculis tenetur Nassaviensis, præliô Adolphus vinci-
tur, æmuliq; sui Alberti Austriaci manu secus oculum (α) vulneratus
ab eqvis conculcatur. Succedit ei Albertus, cujus benevolentia, in Fride-
ricum nostrum atq; Dizemannum primùm prona, per legatos (si cum
Fabriciô laxè & populariter (β) velimus loqui) Isenacensium, fidem suâ
ipsi, si à Principum horum, qvî iniquè odissent Patrem, injuriâ se servaret,
promittentium, adeo imminuitur, ut, ubi Fuldam cum Patre evocati
comparere ideò, qvòd fidendum non esse persuasi erant, recusabant,
bellum in eosdem, nisi Bohemicò impediretur, decerneret. Instigat ad
id, his auditis, eundem Nassaviensis quoqve, ut & in Principes vindi-
ctam aliquam exerceret, & novum Regem sibi conciliaret; decipitq; in-
super annosa vulpes improvidos adolescentes, dum datô jurejurandò,
se certò locò mansurum, liberam ab iis custodiam nactus, violatâ fide
aufugit. Atq; interea dum Fribergæ saltem per præfecti tyrannidem
benevolentia signum dare non licet, copias suas, finitò Bohemicò bellò,
cum Svevis conjunctas in Thuringiam Misniamq; ablegat Albertus. Sæ-
viunt eæ adeo, ut describi vix possit, rediguntq; Fridericum milite desti-
tutum ad necessitatem ultimam, eam (γ) desperatos reddere pugnacis-
simos non reputantes. Jubentur igitur à Fridericò Lipsiæ undiqvâq;
adesse milites, qvî, ut factam inter se conspirationem fortunet DEUS,
precibus eum sibi conciliare student. Nec etiam senes (δ) debilitas,
nec mulieres sexûs imbecillitas domi tenet, qvò minus ad templa pro-
gressi omnes pro pugnatorum felicitate DEUM sollicitent. Et, quem
non cura Fratrum Principum vultu habituq; significata commovet,
quem non animat Oratio Friderici, qvâ in mediò armatus forò, nudatò
ca.

capite, milites alloquitur? *Quod felix, inqviens (e), faustumq; sit mihi & vobis, in hostem eamus, & hodiè experiamur, quid contra nefarios & inqvinatos homines possit hæc exigua civium & militum optimorum manus. Vobiscum erimus (fratrem manu ostendens) primi in acie, aut pulchram pro vobis mortem obituri, aut libertatem reddituri Patriæ. Hostes nostros iratum habere Deum, non dubito, propter tot actiones inhumanas, profanata templa, stupratas Matronas atq; Virgines: qui nullò jure in nos nostrumq; populum tam furialiter sæviunt, quiq; alienarum cupiditatum scelerati ministri delere, ut videtis, has Provincias cupiunt cum ipsis hominibus. Oculi aliorum omnium, qui nunc vexantur, aut eversi bonis sunt, aut in vinculis tenentur, in vos conjiciuntur; vota omnium pro vobis sunt: Ad vos secundum Deum animis pectoribusq; suspirant. Vindicare religionem patriam, Conjuges, liberos, libertatem, præsentem ac propugnante ipsò Deò, à cujus aris supplices modò surreximus, nec ejus clementiam vocare in dubitationem debemus.* Quibus dictis galeam insignibus trium Provinciarum Thuringiæ, Misniæ atq; Osterlandiæ ornata[m] poscens, ut Deus manum gladiumq; suum adjuvet, precatur. Certè velut Quintius Flaminus Rom. Conf. (ζ) adhortationibus suis adeò cohortes suas excitavit, ut æqvè acriter ac Macedones depugnarent: Ita Heros noster copias suas recitatâ modò oratione inflammabat tantoperè, ut milites Regios, Svevosq; imprimis, (qui contemptum (n) hostem certamen cruentum (θ) edere posse, nequaquam opinabantur) immensò suò, eoq;ve incredibili admodum, fervore in furnos & occisorum fugarent jumentorum corpora. Ubi tamen deprehensi, illic à mulieribus, hæc à militibus sæviùs trucidantur. Occultationem hanc Albinus hòc complexus est Disticho:

Nunc timidi repunt in equorum corpora Svevi

Concava, nunc calidi fornicis antra petunt.

Inde Misnenses malè quem acceptum fore significaturi, eandem illum expectare fortunam ajunt, quæ ad Luccam Svevos. Ibi enim prælium commissum est prid. Cal. Jun. An. 1307. Atq; hunc in finem optatissimum definebat excitata per orationem Friderici militum fortitudo: hòc eventu infelicissimò Svevorum puniebatur audacia.

α) Cluver. sub Ad. Nass. p. 495. β) Exc. Dn. Præf. in Disc. Polit. de Legat. Conf. cel. Bœcl. Diff. 2. Pol. ad loc. Tac. Ann. 42. 3. γ) Cl. Bernegg. in Tac. Agr. qv. 209. δ) Just. de Athen. vict. l. 5. c. 7. ε) Fabric. N. in Frid. Adm. ad eund. mod. eam recitat. ζ) Just. l. 30. c. 4. η) contra

THESIS VIII.

Post hanc victoriam in Nassaviensi primùm fratris cædem vindicat; dein recenti bello à Patre implicitus Wartburgô, ductu Socrûs & Novercæ suæ occupato, baptizatâ priùs suâ filiolâ commodum fert auxilium.

Ἐκθεσις.

Philippus Rex Macedonum, tergemina unâ die (α) gaudia cum ipsi nunciarentur, *ô fortuna, celeriter potius aliquid parvæ molestiæ ad pensanda hæc tanta bona, quàm differendô majora afferto*, suspectam habens nimiam fortunam, exclamâsse dicitur. Unicum, sed istis fortè haud dispar gaudium Fridericus insigni triumphô suô adeò prosperè adeptus erat, ut & sibi votô istô, at sensu saniori, utendum meritò fuisset, ne Fratris mors lætitiæ suæ nubem non citò transituram obduceret. Ipse enim dum variis augetur urbibus, Lipsiæ in templô D. Thomæ, ipsâ natalitiorum nocte (β), à sicariô quôdam optimus Princeps Dizemannus, cujus imago (γ) Epitaphiumq; in templô nostrô Academicô extat, aræ adstans, An. æt. 37. interficitur. Autorem cædis hujus Nassaviensem esse suspicatur Fridericus, in quem cum incidisset, per medias turmas ad ipsum properat, vulneratumq; ac fessum de eqvo dejicit, & stragem edit ingentem. Transacturo tunc secum Alberto Regi de Thuringiâ, captivisq; restituendis negando respondet, adeoq; eum irritat, ut se, nisi voti sui compos fieret, non discessurum juraret. Sed inane hoc facit juramentum Stephanus Bavariæ Dux, à quô ad sua tuenda revocatur. Evigilat nunc iterum Albertus Pater, se Dizemanni heredem adserens. Verùm ad hereditatem consensu Rudolphi Imp. in præsentia Principum complurium sibi æquè ut fratri concessam provocat Fridericus. Pater cause cognitionem ad Regem, ad Optimates Thuringiæ filius, cui suspectus erat Rex, deferri capit. Accusatus ea propter apud Regem, novâ expeditione infringendus venit, quam tamen denuò bellum Bohemicum impedit. Adelheidis interim, (*quæ patri ipsius nupserat, & cujus filiam Elisabetham raptu* (δ) *domum duxerat, missis dein ad matrem literis purgatoriis*) absumptâ à maritô dote suâ ad Wartburgum, ubi Albertus degebat, occupandum. Friderico facit aditum. Quâ re cognitâ, Præfecti Regii & his faventes Isenacenses perterrentur maximè. In ipsô verò armorum tumultu filio-

la

la Friderico ex Elisabethâ nascitur, quam cum baptizari in arce non posset, Tennebergium cum viris quibusdam fortissimis adeo feliciter, Deo adjuvante, deducit, ut licet strepitum insequentium in eo ipso, dum infantis inedia sedanda erat, exaudirent, salvi tamen eò deferrentur. Reversus inde ubi cum equitibus quibusdam, auxilio Henrici Brunsvicensis affinis sui collectis, Isenaco adpropinquaret, id efficit, ut hostes, capto insuper occisoque Legato Regio, ab obsidione decedant. Venisse auxilium recte profecto dicitur, si sit in conspectu, etiamsi nihil agat (ε); nam ipsa presentia suam vim habet, in hostibus, ut decidant animis; in illis, quibus illud advenit, ut confidentius in hostem agant. Sic expavescunt hic cum Praefectis Regiis Isenacenses, irritantur obsessi Wartburgenses: Quin ubi illi & Regem Albertum occisum (ζ) esse intelligunt, ipsi quoque Friderico sese dedunt. Et tantum praestabat commodum auxilium.

α) Exc. Dn. Praef. in Disp. de fort. Cl. B. Duc. sub fin. dic. prael. ex Plut. β) Mansfeld, Chron. c. 277. f. 326. γ) M. Stepn. in Inscript. Lips. Paul. Conf. Exc. Fell. cit. Anim. 26. δ) Fabric. N. sub Alb. Thur. ε) Grot. 3. 23. 12. ζ) Cluv. sub Alb. Austr. p. 5000.

THES. IX.

Pace tandem post annum ferè XVI. constitutâ, subditis bello exhaustis censum & tributa unò annò remittit, ex collectâ de captivis pecuniâ fiscum interim locupletans.

Εκθεσις.

INter maxima belli pericula subditorum amor tenus hâc usque velificatus est Fridericus, quid igitur pace tandem paulum reparatâ faciet? Habemus equidem Neronas, quibus quinque annis, se Reipubl. non Rempubl. suam esse (α), iis verò finitis, omnia sibi in omnes (β) licere, persuasissimum est. Sed ut belli, ita pacis quoque tempore subditos sibi devincire Fridericus studiosè laboravit. Iis enim belli gravitate exhaustis, censum & tributa unò remittit annò, aulae tamen sumptus ut sibi suppetant, collectâ ex captivis pecuniâ fiscum (γ) locupletat. Nec enim corpus Physicum sine nervis & artibus, nec civile sine pecuniâ potest consistere (δ). Varii verò licet fiscum exaugendi modi sint, in tantâ tamen subditorum penuriâ ordinarius (ε) ferè nullus locum invenit, nisi tonsam aliâs pecus, sic deglubere, quod boni (ζ) & suis operam dantis Pastoris non est, intendisset: Neque extraordinariorum alius atque hic, quem invenerat Noster, quo & hostibus insignem quendam ner-

3528
vum subtrahere & suorum commoda ita promoverè valuit, ut anno 1308. urbibus restauratis per repetitam agriculturam annona quoque, quod maximæ (η) felicitatis æstimatur, procurari posset. Subditorum itaque amorem ritè sibi comparasse piissimum hunc Principem, quis neget?

a) Sen. de Clem. l. 1. b) Svet. in Calig. c. 29. γ) si de Principibus loquaris, rectius dici quam arar. docet Hippol. à Coll. in Incr. urb. c. 20. conf. Naur. in addit. d) Id. cit. loc. e) Florim. Ac. Pol. sext. c. 1. & sqq. p. 754. ζ) Symb. Tib. Svet. c. 32. in vit. Ej. η) Hipp. cit. l.

THESIS. X.

Erfurdianos, re semel bisve benè gestâ superbè sibi insultantes, fustibus excipere jubet, & mox Vinariensem, in quo illi spem constituerant suam, debellat.

Ἐκθεσις.

Emerant Erfurdiani multas ab Albertò Patre villas arcesque Nobilium, quas hi à minoribus suo ordine gubernari agrè ferentes, agere de restitutione incipiunt. Illi verò justæ emptionis titulum præ se ferentes, instigati assiduè ab Albertò ipsò, qui exul in eorum vivebat Republica, superbè resistunt. Fridericus eos ad conditiones coactus, vias ipsis, quod maximæ laudi est Duci (α) bellico, intercludit, ne ea, quibus illi maximè indigerent, importari queant. Arcem insuper, quò sui se reciperent, Andislebiam constituit, quæ fortè hostibus aggressuris (β) animos diminueret. At læsi à Præfectis ejus Erfurdiani capiunt eam & evertunt. Inde jure rem experturus Miltelhusiam eis diem dicit, fore sperans, ut publicè condemnentur. Verùm & hòc locò ipsi vi armatâ egressi cedere eum cogunt. Denuò autem validiore comitatu munitus convocat suos Judices, & præcipit suis militibus, ut ne gladiò, sed fustibus eos benè multent (γ), & equorum calcibus impetant. Elata successu plebs Erfurdiana, quò ipsò & Pausanias laboravit (δ) vitiò, majore cum tripudiò, quàm antea tribunal eversum egressa, captis ditioribus, servilem in modum percutitur atque vulneratur. Assumit autem postmodum Hermannum Comitem Vinariensem, variasque undique agit prædas; donec eam tertiâ ante Pentecosten die securè (ϵ) prædantem eò redigeret Fridericus, ut penè de salute desperaret. Qui in Vinariensi eorum spem locatam esse animadvertens, eundem ad implorandam suam clementiam compellit. Erfurdianis verò ob dilatam pacis negotium derelictis, ne hosti ullam opportunitatem (ζ) relinqueret, in villas distribuit

tribuit suos milites, quasi prævídisset, futurum, ut alterâ vice supplicem sibi faceret Vinariensem.

α) Florim. Ac. Polit. 632. *β)* Ex Scip. Amir. l. 19. diss. 4. cit. Bernegg. in Exeg. Hist. Polit. Rubr. 3. *γ)* qui mos & Svecis erat milites coërcituris. Naurath. Addit. ad c. 16. Hipp. à Coll. in Princ. *δ)* Corn. Nep. IV. II. 2. *ε)* dispalata forsitan, ut Athen. C. N. VI. 1. 4. *ζ)* Florim. c. 1. p. 405.

THES. XI.

Ab Henricô Lüzelburgicô, quem novum Regem Imperium elegerat, iterum ut & aliis infestatus, animum tamē invictissimū ostendit, quem nec captus quidem despondet.

Εκθεσις.

Quietem hætenus paulisper saltem turbatam novis planè interrumpunt invasionibus Rex Imperii nov9 Henricus Lüzelburgicus Thuringiam repetens, Abbas itidem Fuldanus, Frater Regii Legati supra interfecti, & Woldemarus Brandenburgicus, qui Lusatiam sibi subjugare totam cupiens, erat infestissimus. Tot undiq; circumvallatus hostibus invictum nihilominus animum (*α*) ostendebat, ut si fractus (*β*) illaberetur orbis, impavidum feruisse putes ruinas. Cùm enim eum vel regiones suas diripientem, vel Hanæ oppido trans Albim succurrentem in captivitatē mitteret Woldemarus, & in eâ animū ad perpetiendâ omnia paratissimū servavit. Celebratur eadem constantia in Sereniss. Joh. Fridericô, Saxon. Electore (*γ*) qui à Carolô V. captus animô quoq;ve erat fortissimô. Et hæc illa viri fortis nota est, ut cum Turnô Virgiliti (*δ*)

Quò DEUS & quò dura vocat fortuna, sequatur.

Nec etiam invitus ab eâ trahitur:

*Stat conferre manum Æneæ, stat, quicquid acerbi est,
Morte pati, (ε)*

inquit laudatus Mantuani Turnus. Quem cum imitatus veluti Fridericus esset, duras in carcere conditiones adprobare cogitur: ut videlicet unicam suam filiam Alberto Kœtensi, Woldemari sororis Filio uxorem daret (hæc durissima ipsi), & Pleissensem ditionē dotem diceret, ut Lusatia oppidis renunciaret, Landsbergô, Echardsbergô & Numburgô, à Patre oppignoratis, cederet, Misena arcis atq; urbis Fribergensis præfecturas patruo Woldemari concederet, & triginta marcarum millia exsolveret. Quæ ideò agebantur omnia, ne viribus pristinis resumptis resistere cuiquam possit. Sed expectamus exitum.

α) Hippol. in Pr. c. 25. p. 385. animum ejusm. scitè depingit. *β)* Horat. l. 3. O. 3. *γ)* Cl. Dürr. P. 3. S. 2. Q. 2. n. 12. p. 170. & 269. *δ)* Jul. Cæs. Scal. Poët. l. 3. p. 266. *ε)* id. ib.

Maximis his ex necessitatibus prudenti suorum virtute ereptus, pristinae libertati restituitur.

Εκ Θροισ.

Dum Elisabetha sex annorum puella, cui virum eligere Pater præoptarat, Sponsi propinquis educanda committitur, dumq; Præfecti alicui designata tradunt loca, Pleissenses tantum, nisi Principem coram id imperantem videant, facere se, quod juberentur, salvâ pietate non posse, regerunt. At colligit interea Cobelentius quidam tacitè copias, easq; juramento inter se invicem obstrictas circa Altenburgum (ibi enim sistend⁹ erat Fridericus) ordine debitò disponit, ut qui primi ex insidiis erumpant, quiq; hos insequantur, & rem totam conficiant, constituantur. Quoniam enim justum à partibus eorum bellum erat, Strategematibus (a) quò minus uterentur, causam non habebant. Nihil siquidem ad justitiam belli interest, cum justum bellum susceperis, utrum apertâ pugná vel per insidias vincas (β). A quibusdam enim populis (γ) aut hominibus repudiata licet fuerint Strategemata, non id ob injustitiæ opinionem accidit, sed ob eximiam quandam animi celsitudinem & virium fiduciam. Illâ verò etiam si destitutæ non fuerint cohortes nostræ, in hac tamen parùm sibi, si rem apertè egissent, poterant promittere. Nam Albertus Kœtensis tantis erat communitus viribus, quæ & vim quandam, si fortè oboriretur, reprimere & præsidia explere possit. At belli justitia quâ ratione defendet factum Cobelentii, cum pacta utrinq; adprobata bello finem imposuerint? Verùm adprobata fuere à parte alterâ in carcere ad eadem coactâ. Tot enim tamq; duras, quis nisi coactus, accipiet condiciones? Accedit, quod & ipsi, in quos parabatur illud Strategema, adprobata conditione novâ, sistendi scilicet Principem, Pleissensibus belli nondum planè compositi copiam fecerint. Hi itaq; conspectò Principe exclamant læti, & in Brandenburgicos casu inopinatò stringere arma oblitos irruunt, eripiuntq; Principem. Capiunt postea Albertum Kœtensem cum ducentis nobilibus. Inde revocantur conditiones omnes; Reducitur Elisabetha, dein Ottoni Duci Hassiæ desponsata. Et solutâ tandem à captivis pro dimissione suâ pecuniâ, stabilis pacis arbiter inter Fridericum atq; Woldemarum seligitur. Sicq; suorum virtute Thuringiæ redditus (cujus facti gratiâ etiam ferè singulos compellat atq; laudat) Abbatem, quoq; Fuldanum & Hirsfeldensem, ut de illatâ sibi injuriâ satisfaciant, adigit, suisq; iterum pacem restituit provinciis. a)

895
a) Celeb. Bernegg. Miscell. q. 4. in l. 2. Ann. Tac. c. 88. β) Grot. 3. 1. 6. 3. ex Aug.
gust. γ) Id. c. l. §. 20.

THESES. XIII.

Erfurdianis jam ad pacem à se petendam coactis, arces atq; villas oppignoratas redimit, prædatorias evertit, & sua facinora omnia depingi jubet.

Ex Jeros.

AD Erfurdianos ubi rediret Noster, ipsi primum confisi quorundam auxiliò resistunt. Iis verò discedentibus, cum mutandus, feriis Christi natalitiis, senatus foret, plebs juramentum se præstituram negat, nisi, pace constitutâ, urbs redderetur libera. Constituitur his conditionibus, ut cives Privilegiis, ab Albertò Patre concessis, cedant, villas quasdam arcesq; majori pretiò redimant, & argenti decem millia marcarum pendant: quas illi, tanquam ex votò factas, lubentibus accipiunt animis. Varia, his gestis, contingunt Friderico, in quibus tamen omnibus morem servabat suum, i.e. cautè agebat ac prudenter. Ac mortuò deniq; Albertò Patre, bellorum civilium Autore, arces ab eo oppignoratas redimit, easq;ve, quas belli diurnitas prædatoribus mancipavit, quod imprimis memoratu dignum est, evertit, subditosq;ve, quibus potuit, profecutus est studiis. Dignæ hæ Principe virtutes famæ licet eum immortalì commendaverint, cū viris bonis, (quidni bonis Principibus?) extinctâ invidiâ, quæ famam eorum dum vixerant, carpebat, nomen continuò efflorescat (α); merebantur tamen, (quod & ipse voluit), ut in mappis quibusdam depictæ unicò intuitu, velut (β) apud Athenienses pugna Marathonica, exhiberentur. Sic etiam Carolus V. (γ), ubi, abdicatam Imperii Majestatem Ferdinando Fratri committens, in Hispaniam concessisset, sua facta depingi, & ad mappas, in quibus delineata illa erant, deportari se, ut gestorum recordaretur, voluit. Idem si Friderici scopus fuit Nostri, & laude quoq; suâ condecorandus erit atq;ve exornandus.

α) Bac. de Verul. l. 8. de augm. Scient. c. 2. Par. 8. p. m. 211. β) Corn. N. 1. 6. 3. γ) B. Hœpfn. in Sax. Ev. P. III. S. 1. c. 4. p. 175.

THESES. XIV.

Visò quinq; virginum spectaculò ingenti consternatione afficitur, quam morbus apoplecticus excipit, quò per triennium affectus Anno tandem æt. LV. obiit.

Ex Jeros.

Isenacenses Monachi servantes morem illorum temporum die à Festo Pentecost. XIV. præsente optimo Principe, quinque prudentes totidemque fatuas virgines spectandas sistunt, & has quidem, quod Sponsi adventum neglexerant, vel Mariam interpellante ipsam, nihil efficientes. Inde tantam consternatione percellitur piissimus Princeps, ut de religione Christiana, qualis illò tempore erat, dubitare incipiens, vix solatio levaretur aliquò, etiamsi quinque dies cum eò disputatum esset. *Tali gaudent Pontificii doctrinam, quæ maximos in animis scrupulos excitat, eximere non potest, ut inde mirum non sit, quod ad desperationem multos adigat.* Brevi tamen post Apoplecticò afficitur morbo, quò per triennium quasi extra se positus, affligitur, donec, anno O. R. 1325. æt. f. 55., sextum intra climactericum (α), humanis hisce solutus vinculis Isenaci in æde suburbanam D. Katharinæ sepeliretur. Non rarò boni Principes fatò minus placidò defunguntur, vitamque variis solitudinibus defatigatam inter dolores exuuntur. Optimus Cornelii Atticus suam tandem sibi inedia (β), Stoicorum (γ) more, accelerare mortem cogitur. Sed hinc, cum eruere omnia non possimus, pedem figimus. Precamur interim DEUM Opt., Max., velit ille pro immensa sua clementiam SERENISSIMAM SAXONIAE DOMUM, POTENTISSIMUMQUE ELECTOREM, cum SERENISSIMIS FRATRIBUS, quos NUTRITIOS ALMA MATER nostra habet Clementissimos, omnibus felicitatum augmentis æternum lætificare & condecorare! Sic EI uti jam, ita & imposterum, semper

LAUS ERIT atque GLORIA.

α) Exc. Dn. Præs. cit. Disp. c. II. Th. I. β) C. N. 25. 20. 21. γ) Cl. Bos. in Comment. ad c. 21. Corn. n. 6.

Επισημ.

- I. Dantur formæ Substantiales in omnibus omnino corporibus Naturalibus. Contra Cartesium.*
- II. Existentiæ DEI non potest demonstrari ex ideâ DEI. Contra Eundem.*
- III. Ad originem Juris naturalis demonstrandam præsupponendus est Status integritatis.*
- IV. Nemo potest potestatem absolutam acquirere in suas passiones.*
- V. Usuræ in benè constitutâ Republ. non sunt tollendæ.*

S. D. L.

à Festo
otidemq;
adven-
nde tan-
Christia-
aretur a-
ent Pon-
non po-
Brevi
afi extra
a clima-
burbanâ
us placi-
dolores
Stoico-
e omnia
, Max,
SAXO-
M, cum
ALMA
gmentis
sterum.

omment.

us Natu-

Contra

endus est

nes.

9/c 1361

ULB Halle 3
004 778 480



V017
m.c.





309

FRID

ORTIS,
SUS,
scursibus

DN. V
SS. The
Extraordin
undiqvac

ellentissimi
ALBERTI,
que Prof. Publ.
Metaphys. Ordinar.
h. Assess. & Colleg. B.
is his omni-

Dn. Pr

notoris filiali cultu
enerandi,
ensuræ

/ Zittâ Lus.

DC. LXXV.

AHNIL

Guillaume Weyler

